

ita tamen moderatam, ut Synodorum Provincialium & Metropolitanorum jura illibata esse vellet. Leo; nec non graviores ac difficilliores causas, quæ sine multis contentione in Provinciis terminari non poterant, ad Sedem Apostolicam per Vicarium esse referendas.

XIII. Ad hæc notandum, eam auctoritatem potissimum creditam fuisse Episcopis amplissimarum civitatum; qui, uti supra monui, successu temporis titulo suæ dignitatis Legatos Sedis Apostolicæ se dixerunt; atque inde vocati Legati nati.

Hos verò, qui ad Principes aut Reges à Sede Apostolica mittebantur, nusquam legimus primis sæculis tantâ auctoritate instructos; imo plerumque Diaconi dumtaxat erant, Responsales, sive Apocrisaris dicti, nulla jurisdictione instructi, solis negotiis Sedis Apostolicæ gerendis apud Principes occupati; deoque primitus auctoritas eorum, qui hodie Legati nati vocantur, amplior fuit, quàm eorum qui pro certis negotiis ad Provincias mittebantur, vel apud Principes nomine pontificis residebant: quos hodie Nuntios dicimus.

XIV. At cum lapsu temporis jus perpetuæ legationis quibusdam Ecclesiis annexum; viderentque Pontifices, personarum, quæ illis præficerentur Ecclesiis delectum nequaquam à libero suo pendere arbitrio, cæperunt horum Legatorum auctoritatem imminuere; aliorum verò qui ab ipsorum libera dependebant nominatione augere; quæ auctoritas circa sæculum undecimum summum incrementum accepit.

XV. Legatorum mittendorum necessitatem Alexander II. circa annum 1156. ex eo capite accersit, quod cura universalis Ecclesiæ eum cogat mittere ad vicem suam personam, quæ visitent Ecclesiis, cum id ipse per se facere non possit; atque hinc sumit occasionem mittendi in Gallias Petrum Damiani Cardinalem & Episcopum Ostiensem, qui illic personam Pontificis representaret. Epistola hæc scripta est ad Archiepiscopos Gallie, & extat tomo 9. Concil. generalium col. 1131.

Altius hoc jus repetit Gregorius VII. qui Legatum in Gallias mittens Amaram Episcopum Oloromensem, dicit, "se id facere quod Romana Ecclesia hanc consuetudinem habuit ab ipsis sua fundationis primordiis, ut ad omnes partes, quæ Christianæ religionis titulo prænotantur, suos Legatos mitteret, quatenus ea, quæ gubernator & Rector ejusdem Ecclesiæ per suam præsentiam expedire non prævalet vice suæ Legatis concessâ monitione salutis & morum honestatem per eos cunctis per orbem terrarum constituit Ecclesiis nuntiaret, eaque Apostolica doctrinâ in omnibus quæ Sacra Religioni conveniunt diligenter instrueret."

XVI. Eandem veterem consuetudinem & rationem allegarunt passim sequentes Pontifices, ut Legatorum mittendorum necessitatem & eorum auctoritatem astruerent; sed præ reliquis Innocentius III. magnificis verbis elocutus est, quod Prædecessores sui simplici sermone dixerant, Primum igitur scribit, Dominum J. Christum Sedem Apostolicam instituisse, totius Christiani orbis caput & Magistrum, à qua panis intellectus & vitæ ad alias procedat Ecclesias. Pontificem Romanum portare onera gravia cum plenitudine potestatis. Verum quia ipse cuncta per se facere non potest, multos sibi operarios & coadjutores ad jungere, ac per eos exequi, quod per se non potest personaliter adimplere, sic vices suas aliis committendo ut intelligat ipsemet facere, quod per alios fieri decernit. Cum autem necessitas Ecclesiæ Constantinopolitanæ postulet illuc mittere Legatum à latere, destinasse se in eam rem Pelagium Episcopum Albanensem; cui nos vices nostras committimus, inquit, ut juxta verbum Propheti, cum evellat & destruat, ædificet & plantet, quæ secundum Deum evellenda & destruenda, nec non ædificanda cognoverit & plantanda.

Hæc Epistola scripta ad Imperatorem Constantinopoli-

tanum extat Lib. 16. Epist. 104.

XVII. Hoc positò fundamento, Legatorum Sedis Apostolicæ ita crevit posterioribus sæculis auctoritas & dignitas, ut cuncta omnino provincialium negotia ad eos deferrentur, sive de judiciis ageretur, sive de confirmationibus privilegiorum; tum aliis quibuscumque negotiis tractaretur, uti ex actis illorum temporum manifestum est.

Et quidem sæculo dodecimo ad Regem Anglorum scribebat Paschalis II. "Universum siquidem terrarum orbem Dominus & Magister suis discipulis dispertivit; sed Europæ fines Petro singulariter commisit & Paulo. Nec per eorum tantum, sed per Successorum Discipulos, ac Legatos Europæ universitas concessa est & confirmata. Unde usque ad nos (licet indignos) eorum Vicarios hæc consuetudo pervenit; ut per nostram Sedem Vicarios graviter, ora Ecclesiarum per Provincias negotia pertractarentur, seu retractarentur."

XVIII. Quin & licet Legati vices agerent Pontificis; ac ob id Sedis Apostolicæ Vicariis dicerentur; atque propterea delegatam dumtaxat auctoritatem vi suæ legationis viderentur, obtinere, nihilominus Clemens IV. cuidam Presbytero Cardinali Apostolicæ Sedis Legato scribit, "Legatos quibus in certis Provinciis committitur legationis officium, ut ibidem evellant, & dissipent, ædificant atque plantent: Provinciarum sibi commissarum ad instar Proconsulum, cæterorumque Præsidum; quibus ceteræ sunt decreta Provinciarum moderandæ Ordinarios reputantes &c."

Hoc Clementis responsum refertur in Cap. 2. De Officio Legati in VI. atque ejus auctoritate uno consensu tradunt Canonistæ, Legatos Sedis Apostolicæ habere ordinariam auctoritatem; atque Ordinarios per omnes suæ Legationis Provincias reputari.

XIX. Unde sicuti Ordinarius est, auctoritate ordinaria statuta perpetuò duratura edere; ita & Legatorum statuta perpetua esse declarant Pontifices: "Nemini dubium esse volumus, inquit Gregorius IX. quin Legatorum Sedis Apostolicæ Statuta edita in Provincia sibi commissa, durent tamquam perpetua, licet eandem postmodum sint egressi." Cap. 10. De Officio Legati.

XX. Ulterius, quia Ordinarius reputantur; atque tamquam Ordinarii in Provincia constituti qui vice Sedis Apostolicæ evellant & dissipent atque plantent, idcirco jure legationis non tantum poterant causas per appellacionem ad se delatas cognoscere & decidere; sed etiam quæ per simplicem quarimoniam perveniunt ad ipsorum audientiam, uti respondit Alexander III. in Cap. 1. De Officio Legati.

XXI. Eodem fundamento declarantur, legationis officium non expirare morte Pontificis à quo missi fuerint, Cap. 2. De Officio Legati VI.

XXII. Ad hæc cum Legati haberentur tamquam Ordinarii, qui vice Sedis Apostolicæ curam Provinciarum in spiritualibus agerent, tandem quoque invaluit, ut ipsis tamquam operariis & ministris Ecclesiæ necessariis sumptus suppeditarentur. Et quidem Gregorius VII. in formula juramenti quam à Metropolitanis in traditione Pallii exegit; & quæ successu temporis ad omnes Episcopos extensa est, addidit clausulam de procurationibus Legatorum quam hoc verborum tenore expressit: Legatum Romanum eundo & redeundo honorifice tractabo & in necessitatibus suis adjurobo.

XXIII. Stabilita verò semel necessitate suppeditandorum sumptuum, præscriptus ab iis est ordo solutionis, coactique Provinciales immensas nonnumquam auri argenti que moles pendere; quæ ad eò publica erant ævo Sancti Bernardi, ut scribens ad Eugenium III. eum moneat, ut tales in Cardinales eligat, qui, cum legatione Sedis Apostolicæ ornati fuerint, "Ecclesias non spolient, sed emendent, qui marsupia non exhauriant, sed corda

reser-

reserant & crimina corrigant, qui cum ad Apostolicam redierint, redeant fatigati quidem, sed non suffocati: simul & gloriantes, non quod curiosa seu preciosa quæque terrarum attulerint, sed quod reliquerint pacem regnis, legem barbaris, quietem monasteriis, Ecclesiis Ordinem, Clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

Hinc frequentes Pontificum atque Conciliorum sanctiones quæ Legatorum in exigendis procurationibus excessum non semel castigant, atque intra moderatos necessarios limites concluderunt, ut nulla Ecclesia, vel Prælati se indubie prægravi rationabiliter conquerantur. Cap. 17. & 23. De Consensu.

XXIV. Constat ergo, Legatos Sedis Apostolicæ tamquam Ordinarios per omnia reputatos fuisse; quin eorum, præcipue Legatorum à latere, ea fuit auctoritas & dignitas, ut instat Proconsulum cæterorumque Præsidum ad regendas Provincias mitti dicerentur, Cap. 2. De Officio Legati.

XXV. Et quidem sicuti Proconsules Romani, euntes & redeuntes à Provinciis sibi concessis utebantur insigniis suæ dignitatis, ita quoque Legati utuntur insigniis Apostolicæ dignitatis, puta, vestibus rubeis, palafredo albo, freno & calcariis deauratis, uti post Hostiensem ad Cap. ANTIQUA De Privilegiis notant communiter Canonistæ, idque mox ut ex Urbe recesserint.

XXVI. Quin ea erat dignitas Legatorum, ut nec Archiepiscopi, imo nec Patriarchæ possent Dominicæ Crucis vexillum sibi habere præferri ubicumque præfens esset Summi Pontificis Legatus utens insigniis Apostolicæ dignitatis, Cap. ANTIQUA De Privilegiis; quia in præsentia majoris deponitur potestas reverentialis minoris, inquit Barbosa lib. 1. juris Eccles. cap. 5. num. 21.

Unde, ut ibidem observat Barbosa, Episcopus in civitate & Diocesi cui præfere non potest presente Legato de latere benedicere populum, & deferre vestes, scilicet Mozzetam significentem jurisdictionem illius ordinariam.

XXVII. Simili ratione scripsit Gregorius IX. Patriarchæ Hierosolymitano: "Fraternitati tuæ Legationis officium in Provincia tua duximus committendum, ita tamen quod si Legatus ad partes illas de latere nostro contigerit destinari executionem ipsius officii, quamdiu Legatus ipse ibi fuerit, pro Sedis Apostolicæ reverentia omnino dimittas." Cap. 8. De Officio Legati.

XXVIII. Potestas & dignitas Legatorum à latere & in hoc supra aliorum Legatorum dignitate eminent, quod ipsi quoque ad instar Romanorum Proconsulum aliquam jurisdictionem, saltem voluntariam exercent extra fines Provincie sibi commissæ; v. g. absolvendo aliquem ab excommunicatione pro injectione manuum violenta in Clericum; quemadmodum ad Cap. 9. De Officio Legati post Glossam notant Canonistæ.

XXIX. Potest quoque Legatus à latere conferre Beneficia in Provincia sibi credita, licet sint Juris patronatus Ecclesiastici; cum plus juris habeat in concessione Prælati, ait Innocentius III. quam in presentatione Patroni, nec præjudicetur Prælati, si quando per Apostolicam Sedem Legatum eo inconsulto Ecclesia concedatur. Cap. 6. De Officio Legati.

XXX. Verum, licet amplissima fuerit posterioribus sæculis Legatorum, præsertim à latere, auctoritas ac potestas, nihilominus tamen plura in signum suæ supremæ potestatis Pontifices reservarunt, quæ eorum Legatis à latere non competunt, nisi specialiter & nominatim in eorum facultatibus & mandatis à Pontifice sint expressæ; qualia sunt transferre Episcopos aut Archiepiscopos; unire duos Episcopatus, aut alteram Sedem Episcopalem alteri subicere; aliaque quædam similia quæ ad Cap. 4. De Officio Legati annotavit Glossographus.

XXXI. Ex his verò causis Pontifici specialiter reseravimus, Pontifices solent suis Legatis, vel plures vel pauciores com-

Van Espen Jur. Eccl. P. I.

mittere, quatenus gratiâ vel auctoritate apud Pontificem prævalent; easque exprimere solent in mandatis & facultatibus quas Legatis suis tradere consueverunt.

XXXII. Ex varia hac Pontifici delegatione nunc ampliore, nuac restrictiore facta est, ut verissimi annotari Panormitanus in Cap. FIN. De Confirmat. utili, adeo persusorice & generaliter de Officio Legati in Jure Canonico tractari, ut vix constitui possint ea, quæ jure Legationis proprie ad Legatum pertinet.

XXXIII. Hinc & prudenter hodie Pontifices solent mandatis sive facultatibus Legatorum seu Nuntiorum inferere ea omnia, quæ Legatis committenda esse censent. Unde eum monet Cardinalis De Luca disc. 33. ad Concilium Trident. 21. quoad jura Legatorum certam regulam statui non posse, cum eorum pendeat à tenore facultatum. Facultates quas habuit Decius Caraffa Nuntius Apostolicus in Belgio sub Alberto & Isabella exhibet Zypæus tit. De Officio Legati; notatque eas esse, quales plerumque Nuntii habere solent.

### CAPUT III.

Quid moribus hodiernis, præsertim Gallie & Belgii circa Legatos & Nuntios Apostolicos obtineat?

- 1 Legati & Nuntii Ordinarios in sua jurisdictione turbare non possunt.
- 2 Olim multum solliciti fuerunt Pontifices, ne per Legatos Ordinarios jurisdictionis & auctoritas impeditur.
- 3 Solliciti quoque erant, ut essent grati Principi ad quem mittebantur.
- 4 A multis sæculis obtrinit, ut sine prævio Principis consensu non mittantur.
- 5 In Gallia id in usu erat tempore Bonifacii VIII.
- 6 Consuetudo Angliæ de non mittendis Legatis sine prævio Regis consensu probata à Callisto II.
- 7 Legati debent Bullas suæ Legationis Regi exhibere.
- 8 In Gallia Facultatibus Nuntiorum & Legatorum modificationes addi solent.
- 9 Idem observatur in Hispania & Belgio.
- 10 Modificationes Facultatibus Legatorum à Latere annotantur in Registris Curie; & ad quid?
- 11 Referuntur articuli modificationum in Gallia apponi soliti.
- 12 Legati etiam à Latere debent Legationem exercere per se.
- 13 Legatorum potestas hodie non censetur Ordinaria.
- 14 Legati non possunt exercere suam Legationem, nisi quamdiu Regi placuerit.
- 15 Legatus discedens debet Legationis acta reponere ad manus alicujus à Curia Regia designati.
- 16 Articuli modificationum in Gallia apponi consueti multum moribus Belgicis consonant.
- 17 In quibus potissimum hodie versetur Nuntiorum officium.
- 18 Legati & Nuntii plurimum Ecclesiæ prodesse possunt, si debitum dotibus sint instructi: qua ibidem referuntur.



Ynodus Tridentina Sess. 24. cap. 20. De Reformat. statuit: "Legati quoque etiam de latere, Nuntii, Gubernatores Ecclesiastici, aut alii, quarumcumque facultatum vigore, non solum Episcopos in prædictis causis impedire aut turbare non præsumant; sed nec etiam in his præripere aut turbare non præsumant; sed nec etiam contra Clericos, aliæve personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo prius requisito, eoque negligente, procedant; aliis eorum processus ordinationes vel nullius momenti sint: atque ad damni satisfactionem partibus illati teneantur."

Hic patet, Synodum Tridentinam in nullo velle auctori-

toritatem & jurisdictionem Ordinariorum per Legatos aut Nuntios perturbari aut impediri: unde etiam notat Zypæus in Jure novo titulo *De Officio Legati*, quod generatim Nuntius præscribatur, ut procedant sine præjudicio Ordinariorum: quod & Rex in litteris *Placens* addere solet, ut infra patebit.

II. Quam solliciti jam pridem fuerint Pontifices, ne Legati jurisdictioni & auctoritati Episcoporum in aliqua detraxerent, liquet ex verbis S. Leonis Legationi Juliani Episcopi Coenensis, de quibus capite præcedenti, subjunctis: "Con-sulenti autem dilectioni tuæ de his, in quibus putaveris ambigendum; non deerit relationibus tuis meæ responsio-nis instructio: ut sequestrata earum actione causarum, quæ in quibusque Ecclesiis Præsulum suorum debent cog-nitione firmari, hanc specialem curam vice meâ fructus assumas, ne hæresis vel Nestoriana vel Eutythiana in aliqua parte revirescat &c."

III. Neque minus solliciti erant, ut Legati, præcipue qui eum in sinem ablegabantur ut in comitatu Principis morarentur, Principi grati essent, ejusque patrocinio foverentur. Unde nec facile suos ad Principes Legatos mittebant, nisi benevolentiam Principis sollicitarent, omnemque Legatorum erga Principem observantiam sponderent; quemadmodum in epistolis S. Leonis ad Martianum & Pulcherium; nec non variis epistolis S. Gregorii videre licet.

IV. Imo à multis sæculis apud plerasque gentes invaluit, ut Legati Pontificii ad Provincias, sine prævio Principis consensu non admittantur; quemadmodum nec Principum Legati à Pontifice, nisi ejus consensu recipiuntur.

V. Illud in Regno Galliarum tempore Bonifacii VIII. & Philippi pulchri Galliarum Regis obtinuisse, factum manifestum est ex articulo, quem inter alios Bonifacius per suum Legatum Philippo proponi voluit; ipsiusque Philippi dato responso. Articulus proponendus hic erat: "Item ad denuntiandum vel declarandum eidem Regi, quod Romanus Pontifex Legatos de latere ac Nuntios liberè mittere potest ad quævis imperia, Regna & loca, prout vult, absque petitione cujuslibet vel consensu; usu vel consuetudine contractis nequaquam obstantibus." Huic articulo respondit Rex: "quod non impedivit, nec impedire intendit Legatos, Nuntios, vel alias quascumque personas, quo minus ingredi valeant Regnum suum, nisi sibi & Regno sine legitima ratione suspecti, vel aliàs habeat justam causam."

VI. A Callisto Papâ II. concessum fuisse Henrico I. Angliarum Regi, ut veteres Regni sui consuetudines firmæ manerent, atque inter alias hæc, ut nullus Legatus in Regnum ejus mitteretur, nisi à Rege postularetur, refert Rogerius De Hoveden in priore parte Annalium: verba ejus sunt: "Rex à Papa impetravit ut omnes consuetudines, quas Pater suus in Anglia & in Normannia habuerat, sibi concederet, & maxime ut neminem Legati officio in Anglia fungi permetteret, si non ipse (aliqua præcipua querelâ existente, quæ ab Episcopis regni terminari non posset) hoc fieri à Papa postularet."

Hæc praxis non admittendi Legatos seu Nuntios Apostolicos sine Regio consensu usque ad hæc nostra tempora, non in Gallia aut Anglia dumtaxat, sed & in Hispania, ac Belgio nostro constantissimè servatur.

VII. Imo quemadmodum olim Proconsoles Romani (quibus Legati Apostolici, præsertim à Latere comparantur) secum ferebant facultatum seu mandatorum suorum articulos in Provincia sibi demandatâ exhibendos; ut juxta illos suam auctoritatem ac jurisdictionem exercerent; ita quoque moribus obtinuit, ut Legati sive Nuntii Apostolici Facultates suas habere debeant, easque Rege ejusve Parlamento exhibere; ut iis visis & examinatis expendatur, nun nihil in illis con-

tineatur jure Regis, aut Regni, vel subditorum contrarium.

VIII. "Legati de Latere (ait Franciscus Marcus *Decis. Delphin. parte 2. decis. 14.*) apud Gallos nusquam fun-guntur Legationis officio, nisi in eorum ingressu infinita-verit sua potestatis litteras supremæ Curie Parliamentis." Et Renatus Choppinus de P.S. lib. 2. tit. 4. "Sacri Legati potestas initium sumit apud Gallos, ex quo primum Curia codicillos Pontificios approbaverit."

"Pauantur Romani Pontifices (inquit Mornacius ad *la. Cod. De summâ Trinit.*) Legatos suos quos mittunt in Galliam, Lugduni semper, atque in hunc diem gradum sistere, donec singula legationis capita temperentur à Senatu Francisco, qui indicit & cancellat liberè, si imminu-ti in aliquo jus in re profana seu temporali regimini viderit.

IX. Quod de Gallia uno consensu Prædicti testantur, & notoria praxis evincit, idem de Hispania & Belgio refert tamquam indubitatum & Caroli V. edicto firmatum Didacus Covarruvias *Præf. 99. c. 35. §. 4.*

"Sicuti apud Hispanos, ait, potestas Legatorum seu Nuntiorum Apostolicæ Sedis examinatur, ut admoneri possint à summo Regis prætorio, quibus ut conveniat dispensationibus & commissionibus, ne quid fiat in Reipublicæ dispendium: cumplerumque Nuntii Apostolici exteri sint, nec satis noverint, quæ sint omnino præcaven-da, ne falsis precibus & suggestionibus decipiantur: ita & idem fieri solet apud Gallos teste Carolo Molin. in Reg. Cancellariæ de infirmis resignantibus num. 139. Ita enim inquit de Regno Franciæ: in quo nec Legatus quidem Pa-pæ, sive lateralis sive missus quidquam auctoritate Papa-sam à Rege obtinuerit homologatam à supremo Tribuna-li Regio, in quo Legatus aliquid exequi nec in terris Regni, quæ nuper adhuc erant in possessione Regis Franciæ, sine consensu Comitum Flandriæ, ut vidi per programma Caroli V. Imperatoris, qui ibi idem jus conservat, cujus programmatum exemplar habeo sub data 15. die Maji anno 1531. Hactenus Molinæus. Ex quo apparet, non tantum in Hispania, sed & in Flandria & apud Gallos hoc ipsum frequentissime fieri." Hæc Covarruvias.

X. Ob reverentiam quidem Legatorum à latere solet Curia Regia, teste Fevretio lib. 3. *De Abusu cap. 2.* ipsis reddere Bullas legationis nullâ factâ mentione restrictionum sive modificationum, quæ in registris Curie dumtaxat annotantur, ut ad illas, cum opus fuerit, recurri possit. Sitamen Legatus his contraveniat, sive voluntariam sive contentiosam jurisdictionem concernant, abusus judicatur, atque ab illo actu tamquam ab abusu ad Curiam Regiam appellatur.

XI. Jacobus Thuanus lib. 3. *Historia sua ad annum 1547.* in unum redegit & per ordinem retulit modificationes, quæ in verificatione, ut ajunt, facultatum sive Bullarum Legatorum à latere per Curiam Regiam diversis temporibus appositæ fuerunt, quemadmodum ex litteris ipsis verificationum relatis *tom. 2. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 23.* videri potest.

Cum verò ex dictis articulis elucescat, quæ sit moderna circa auctoritatem & facultates Legatorum & Nuntiorum disciplina & praxis, non inutile fore credidi dictos articulos eo ordine, quo à Thuanus recitantur, referre.

Ut Legatus "mandatorum vi nullam jurisdictionem in regis subditos, ne ipsi quidem consentientibus, exerceat, nec etiam in eos à Sacro Ordine, qui jurisdictioni ordinariæ exempti sunt, & directe ad S.S. pertinent; quibus si opus sit, judices in partibus delegatos dare tenebitur, qui de appellationibus eorum cognoscant, & finem liti imponant: natalium restitutionem beneficium spuris non impertiat, nisi ut ad Sacros ordines admitti, & Sacerdotia obti-

neri possint, modo ne eo Beneficio privilegii, immunitatis, ubi is ac jure Sacrorum Collegiorum, quæ ipsius, nullo casu admittunt, derogetur; non autem beneficium ad id porrigitur, ut ipsi ad successiones & Magistratus civiles ac hujusmodi publica munia admittantur: nullam Sacerdotiorum unionem faciat; tantum rescripto judices deleget juxta Synodi Constantiensis statutum: iis qui ob gradus prærogativam ad Sacerdotia per nominationem jus habent, studiorum curriculum gratiam non faciat: nulla pensione Sacerdotia, etiam consentientibus, qui ea obtinent, oneret, nisi commodo eorum, qui ea exerant, aut litigi componendi causa; neque patiat, ut qui ea exerant, pensionis loco omnes fructus retineant, concedatve, ut qui ea tenent, bona soli illa de causa aut quovis contractu alienare possint; etiam si ea Sacerdotia nulli regni jurisdictioni subiaceant, & nullo medio ad Sanctitatem suam pertineant: tantum eo casu judices in regno deleget, qui causa cognita juxta juris præscriptum auctoritatem decreto interponant: Cœnobii Religiosorum utriusvis sexus, nulli, vita durante, aut ad tempus, cum titulo attribuere, aut commendare queat, citra Regis nominationem, juxta pacta cum Leone X. inita; neque Sacerdotiorum vacantium gratiam ulli faciat in indultu à P. P. Parisiensis Senatus assessoribus à Rege nominandis concessi præjudicium: nullam inter regis subditos jurisdictionem exerceat de falso, usuris, separatione conjugatorum, quod ad petitionem dotis, & bonorum per contractus illicitos ablatorum restitutionem: de crimine item novæ sectæ, quæ quietem publicam turbet, cum de facto tantum queritur, non cognoscatur, quippe cum eorum omnium cognitio ad Regem ejusque judices pertineat; neque Regis subditos in iis causis absolvat, nisi quoad conscientiam & penitentiam: testandi contra Provinciarum consuetudines, jura Regni ac constitutiones in Curia promulgatas, ullis Sacerdotia in Regno tenentibus, aut in Cœnobiiis Monasticam professis gratiam non faciat: in diplomatis suis patronorum aut aliorum Ordinariorum jure non deroget contra statuta & laudabiles primarium Ecclesiarum aut Collegialium consuetudines ac privilegia: Regis postulatâ à Pontificibus concessa gratiam nullam faciat: plura Sacerdotia uni sub eodem tecto non conferat: executoribus testamentorum tempus à lege præstitutum non proroget: legata pia in alios usus, quàm quos testator voluit, non convertat; nisi eo casu, quo voluntas defuncti planè impleri non possit, & dummodo commutatio in rem fiat, quæ testatori ejus ultimæ æquipolet: regulæ de verisimili noticia, & publicis lucandis reservationibus non deroget: de fructibus percipientibus cum iis non paciscatur, qui in Sacerdotiorum possessionem se verè intruserint, aut eos ipsis omnino remittat; cum scilicet in usum & utilitatem ipsarum Ecclesiarum, à quibus profecti sunt, resarciri debeant, in conserendis Sacerdotiis, quæ egerata fuerint, non statuat, ut fides diplomatis suis adhibeatur, etiam non exhibitis procuracionibus, quarum vi ea Sacerdotia egerata fuerint. In diplomatis suis clausula, *anteferri*, aut simili, in præjudicium juris jam alteri quæsitum, non utatur. Causas Ecclesiasticas ad se evocare, aut de iis cognoscere contra capit, de causis, aut rei sequestrationem uti non possit: de criminibus, quæ verè Ecclesiastica non sunt, etiam si mista fuerint, contra purè Laicos non cognoscat, sed tantum contra Ecclesiasticos; neque in criminibus purè Ecclesiasticis multas pecuniarias Laicis irroget; ei tamen contra Ecclesiasticos hujusmodi multas uti jus sit, secundum sanctiones Canonicas, dum ne derogetur Sacris Conciliorum Decretis in Censura Canonica comprehensis: restitutiones in integrum, aut contractuum inter Laicos factorum rescissiones non concedat: de actionibus in rem, etiam si contrahentes sacris ad-

Van Espen Jur. Eccl. P. I.

dicti fuerint, aut de contractibus inter quascumque personas Laicas aut Ecclesiasticas factis, qui obligationes in personam continent, si à Notariis Regis publica auctoritate confirmati fuerint, non cognoscat: personas Laicas in familia notatas famæ & dignitati non restituat, sed tantum Clericos, quoad Sacros Ordines & Sacerdotiales dignitates: non permittat iis, qui Sacerdotia egerando pensiones retinuerint, eas in alium transferre: Sacerdotia Regni, quæ conferre ei, quandiu in regno erit, jus est, cum extra regnum erit, conferendi facultatem non habeat, & cum e regno discedet, in cuiusdam viri spectate fidei manus acta legationis suæ consignare teneatur: nihil postremo faciat, quod deroget, aut præjudicet sacris decretis, pactis inter Reges & Pontifices initis, Conciliis Oecumenicis, juribus, immunitatibus, libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, Academicis, & publicis regni scholis, idque scripto manu propria idoneè subsignato promittat."

XII. Ulterius quia in Legatione electa est industria personæ, ideo in verificatione facultatum seu Bullarum injungitur, ut Legationem suam exerceat *per se, non per alios*. Unde Curia Regia anno 1519. admittit quidem Legationem Cardinalis Ambrosii, ut tamen ipse nequeat dare in sua absentia, aut alio quocumque prætextu aliquem Vicarium aut substitutum cum pari auctoritate aut facultate: sed possit committere aut delegare dumtaxat aliquem Regentem Cancellariæ suæ, & alios Officiarios pro Legationis suæ exercitio. Habentur hæc litteræ verificationis *tom. 2. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 23. num. 27.*

XIII. Legatorum præsertim à latere potestatem jure communi Ordinariam reputari supra notatum fuit: "At in terra Gallica (ait Renatus Choppinus lib. 2. *De sacra politia tit. 4. num. 4.*) quæ unius Regis profanum hætenus dominatum experta est, Legati functionem nos alienam potius interpretamur, delatamque à Pontifice, quàm illius propriam ac ordinariam."

XIV. Monet quoque ibidem Choppinus num. 3. "adjectum fuisse Senatus Consulto, Legatum tam diu potestatem usurum quamdiu ageret in Provincia dumtaxat (non si Regno Francico semel exisset) aut quousque placuisset Principi."

*Tom. 2. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 23. num. 30.* referuntur litteræ Archiepiscopi Barenensis Nuntii Sedis Apostolicæ ad Curiam Regiam, in quibus hæc habentur: "Per has præfentes promittimus & juramus per Ordines Sacros, quos ab Ecclesia recepimus, præfato Christianissimo (Regi Franciæ) quod jam dicta Legatione non utemur in regno suo, terris & Dominiis sibi subditis nisi quamdiu tuæ liberet voluntati: adeo ut cum primum certiores efficiemur quod tuæ voluntatis est, ut amplius illa non utamur, statim cessabimus & desistemus illa uti."

Idem scripto promittit Antonius De Prato Cardinalis tituli S. Anastasiæ & Archiepiscopus Senonensis Legatus à latere anno 1529. & extat promissio dicto *cap. 23. numero 39.*

XV. Denique notat Choppinus loco citato: "Gallicis autem finibus abscessuro Legato injunctum est, omnia suæ Legationis acta, & commentaria dimittere penes Curiam Præsidentem aut Consiliarium, quemcumque ei idcirco Senatus designasset. Quorum omnium syngrammam testamurque altertorum Legatus Regi præberet, Curia Regiæ postea inscribendam, sicuti hæc omnia Senatorio Decreto expressa sunt 17. Kalend. Januar. anno 1551."

In formula juramenti Cardinalis Mauroceni Legati à latere, præstiti Henrico III. Francorum Regi anno 1576. ibidem num. 60. habentur sequentia: "Juro & promitto, in verbo Cardinalis per Sacros Ordines meos manibus, ad pectus positus Christianissimo Regi, me Legatum mutare non fundurum, nec Facultatibus nobis